28,579/C



HESS
Catalogued HED 6/5/33.

59068



HEINRICUS de Wallpot ex antiquiſſimâ ac perilluſtri familia D:D: Wallpot de Paſſenheim, hodie dum adhuc ad tractum Rheni inferioris atq; Moſellæ multum clareſcente à Fundatoribus I.^{mus} Magiſter renunciatus novello Ordini præeſſe cœpit A.^{o} 1190. Clemente III. Summo Pontifice, et Henrico VI. Roman: Imperatore primo ſtatim regiminis Anno Ordinis Confirmationem ac ſcutum album cum nigrâ Cruce pro Inſignibus à Coeleſtino III. anno Pontificatus ſui I.^{mo} Chriſti verò MCXCI. XII. menſis Febr: juxta bullam de ſuper editam Im̄petravit, Hoſpitali Teutonico Beatæ Mariæ Virginis in Jeruſalem de omnibus ad ægrotorum curam neceſſarijs ſollicitè providit: aſt occupatâ à Corodino ſolijmâ, et ſubacta viciſſim à Chriſtianis Ptolemaide, potentiſſimâ Syriæ civitate, primariam incljti Ordinis ſedem Hieroſolijmâ Ptolemaidem tranſtulit, ædificatis ibidem infra muros civitatis ante portam S. Nicolai Eccleſiâ et Hoſpitali cum diverſis manſionibus ad curam et ſolatium tam infirmorum, quam pauperum ac peregrinorum, quibus ipſemet unâ cum fratribus iuxta laudabile inſtitutum Ordinis inſervire, multaq; Charitatis et Hoſpitalitatis opera exercere haud erubuit. varia eaq; ſalubria ſtatuta edidit: Omnia Privilegia à ſummis pontificibus et Romanis Imperatoribus Ordini Templariorum et S. Ioannis conceſſa Ordini quoq; ſuo obtinuit, obijt Ptolemaidos 24. Octobris Anno MCC. poſtquam graviſſimis et obſidionibus, et prælijs contra infideles cum laude defunctus, Ordini præfuiſſet Annis ferme 10. eiq; tam propriâ contra Barbaros fortitudine, quam liberale Principum ope magnum incrementum dediſſet: Sub hoc Fridericus Dux Sueviæ primarius incljti Ordinis Auctor Ptolemaidos extinctus ibidem in templo ordinis magnificè ſepultus fuit.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO

FRANCISCO LUDOVICO,

ARCHI-EPISCOPO
TREVIRENSI,
Sacri Romani Imperii per Galliam Regnúmque Arelatenſe
ARCHI-CANCELLARIO,
PRINCIPI ELECTORI,
GENERALI MILITIÆ HIEROSOLYMITANÆ
ORDINIS B. MARIÆ V. TEUTONICORUM PRUSSIÆ
ADMINISTRATORI,
Ac Ejusdem per Germaniam & Italiam partésque Transmarinas
SUPREMO MAGISTRO,
EPISCOPO WORMATIENSI,
PRÆPOSITO AC PRINCIPI
ELVACENSI,
EPISCOPO VRATISLAVIENSI,
ADMINISTRATORI PRUMENSI,
COMITI PALATINO RHENI,
Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium DUCI,
PRINCIPI Mörſæ,
SACRÆ SEDIS ARCHI-EPISCOPALIS MOGUNTINÆ
COADJUTORI,
COMITI Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ, & Ravenſpurgi,
DOMINO in Ravenſtein, Freudenthal & Eulenberg.

DOMINO DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

1721

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

REVERENDISSIME,
SERENISSIME
PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

EA eſt rerum humanarum, moderniqve temporis vix non univerſalis ratio, ut quidquid in publicam lucem prodit, diverſis hominum judiciis expoſitum ſit, aliis id ipſum applaudentibus, corrodentibus aliis, niſi potenti Protectionis brachio ſuffultum ſubſiſtat, quo & illorum numerus adaugeatur, & ſiniſtra horum inclinatio nonnihil attemperetur: Dum igitur hunc

meum de potiſſimis Perſonarum in Imperio Romano Imperantium & Parentium juribus Diſcurſum Inauguralem Hiſtorico-Politico-Publico-Juridicum pro ſupremâ in Jure Doctoratûs Laureâ publicæ diſquiſitioni exponere ſtatui, Nullus ſanè dubitare potui, quin & materiæ Gravitas, & quæſtionum diverſitas aliis diſcurrendi, aliis bene, aliis male ſentiendi ſit anſam præbitura; Ut autem placeret pluribus, nemini, ſi poſſibile eſſet, nauſeam pareret aut odium, forti eum Protectionis Clypeo munire, & XLVIII. fortiſſimorum Virorum præſidio (quorum Icones ſubſequentur) committere ſtatui: Rem clariùs dicam: TUIS REVERENDISSIME SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, *Illuſtriſſimi Equeſtris Ordinis Teutonici* SUPREME MAGISTER, TUIS, *inquam, de Juſſu Patris mei, advolutus pedibus exiguum hoc opus manuum mearum, aliqualem peractorum hactenus ſtudiorum teſſeram* TIBI *humillimè offerre*, TUÆQUE PROTECTIONI *committere præſumo, utque illud & eo clementiùs acceptares, & me ipſum gratioſiùs* TIBI *commendatum haberes, brevem de origine, ſecundis & adverſis ſucceſſibus, nec non moderno Inclyti Equeſtris Ordinis Teutonici ſtatu Hiſtoriam præmittere, & huic fortiſſimorum ejus à primâ fundatione ad noſtra usque tempora XLVIII. Præſulum Icones, uti & modernorum Dominorum Archi-Commendatorum Inſignia ſubnectere volui, ut & quibus ab antiquo Rectoribus Illuſtriſſimus hic Ordo gubernatus fuerit, & cui modò Capiti glorioſè pareat, nec non, qui ſubalternas Regiminis curas ſuſtineant, orbi pateat univerſo. Nec à ſcopo me aberrâſſe autumo, dum enim de Perſonis in Imperio noſtro Romano-Germanico Imperantibus & Parentibus, earúmque Juribus diſcurſum formo, quis, an bene vel male dixerim, judicabit ſapientiùs, benigniùs concludet, quàm* TU REVERENDISSIME SERENISSIME PRINCEPS, *qui ipſemet una de Novenis illis Columnis Sacrum ædificium Imperii circumſpectâ prudentiâ, ſolerti pietate ſuſtentantibus,*

de

de numero videlicet Electorum es, quorum ope dextera Imperialis Potentiæ roboratur, Aur. Bull. cap. 1. §. 1. *qui ipſemet inquam tot Principatibus prudentiſſimè imperare, ſupremo nihilominus Capiti reverenter parere nôſti; Si Protectorem ac Defenſorem modici licèt laboris mei neceſſarium habeo, quem fortiorem, magisque promptum reperiam, quàm* TE, TUUMQUE *Inclytum Ordinem Teutonicum, qui ſua à protectione debilium primordia ſumpſit, atque in defenſionis ſtudio (ſi licet parva componere magnis) eousque excrevit*, ut fortiſſimum Eccleſiæ munimentum, ac Fratres Ejus Athletæ Chriſti, novi ſub lege Gratiæ Machabæi, qui pro Domo Iſraël & Romano Imperio ſe murum exponere non formident, *publicis S. Pontificum & Imperatorum teſtimoniis deprædicari meruerint: Erit forſitan hic ipſe Defenſionis Clypeus nonnullibi offenſionis ſtimulus, dum ea recenſentur, quæ non omnium auribus applaudunt: Quemadmodum verò mihi nullus quenquam offendendi animus unquam occurrit, ita nec ea decenter referre, quæ ex publicis Imperii Comitiorum, judiciorúmque actis jam dudum innotuerunt, ac ſub Dio geſta ſunt, indignationem mereri poteſt aut debet.*

Suſcipe igitur REVERENDISSIME SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, MAGNE MAGNI ORDINIS TEUTONICI MAGISTER *hoc vile tibi oblatum Opuſculum, nec mirare hanc meam audaciam, dicam, an ſubmiſſiſsimam potiùs confidentiam, dum enim Pater meus jam à duodennio* TIBI *à Conſiliis eſſe, & Cancellarii munere fungi* TUÆ *adſcribit Clementiæ, quid mirum, veſtigia patris filium inſequi, & cum Illuſtriſſimi hujus Ordinis laudabiliſſima primordia, ſtupendósque incrementorum progreſſus ex intimis quaſi medullis curioſiùs inveſtigâſſet*, SUPREMO TANTI ORDINIS MAGISTRO *ſe, ſuósque hos primos ſublimioris ſcientiæ Juridicæ fructus maturâ ſollicitudine collectos, nec non ſuccinctâ Ordinis*

ſæpè

ſæpè memorati hiſtoriâ & magnorum Ejus Præſulum Iconibus illuſtratos quàm ſubmiſſiſsimè præſentare, de ejusdem clementiſsimâ acceptatione & protectione parentis exemplo certè confidendo. Dignare ergò REVERENDISSIME SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR *Diſcurſum hunc Inauguralem ſub feliciſſimo Protectionis* TUÆ *munimine in publicum prodire, & contra quoscunque tutum eſſe jube*, TE *verò Supremus* IMPERANTIUM ET PARENTIUM *Dominus ad longævos annos ſoſpitem ſemper, omníque felicitate imbutum velit, ac Inclytum Ordinem* TUUM *millenis incrementis ditatum uſque ad conſummationem ſæculi conſervet. Ita fovet, séque ex aſſe humillimè conſecrat*

REVERENDISSIMÆ
ELECTORALIS
SERENITATIS TUÆ

Clientum infimus

Conradus Joſephus Ignatius
Sebaſtianus Heſs.

EMINENTISSIMIS,
REVERENDISSIMIS, SERENISSIMIS, CELSISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS

DOMINIS, DOMINIS,

MILITIÆ HIEROSOLYMITANÆ
ORDINIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
TEUTONICORUM
PER
Undecim Ballivias tam Pruſſicas, quàm Allemannicas,
videlicet,

Alſaticam, Auſtriacam, Confluentinam, Atheſianam, Franconicam, Haſſiacam, Juncetanam, Thuringianam, Weſtphalicam, Lotharingicam, & Saxonicam

ARCHI-COMMENDATORIBUS,

Et reſpectivè

LOCUM TENENTIBUS.

DOMINIS DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS,
ET PERQUAM GRATIOSIS.

EMINENTISSIMI, REVERENDISSIMI, SERENISSIMI, CELSISSIMI, EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI DOMINI,

Domini Clementiſſimi, & perquam Gratioſi.

QUæ de Illuſtriſſimo Equeſtri Ordine Teutonico in præcedentibus laudabiliter dicta ſunt, aut dicentur in ſubſequentibus, hæc omnia de VOBIS, DOMINI DOMINI CLEMENTISSIMI, ET PERQUAM GRATIOSI, ac glorioſis Anteceſſoribus VESTRIS potiſſimùm intelligenda ſunt; Quemadmodum enim ſupremus ille naturæ Author & Rector corpus humanum tantâ compoſuit providentiâ, ut in Caput & membra diviſum quidem, ſingula tamen mirâ ſubordinatione diſtinctis ſuis operationibus deſtinata ad ſui totius corporis conſervationem ſe invicem ſuffulciant, Imperii præcellentiâ ſemper penes Caput remanente; ita & Politicum Inclyti Equeſtris hujus Ordinis Corpus tam Sagaci prudentiâ conflatum, ut penes unum quidem ſupremum Caput, MAGNUM videlicet MAGISTRUM ſumma imperandi conſiſtat authoritas, alia tamen Nobiliora ejusdem Ordinis Commembra in magnam Curarum & Regiminis partem ſubordinata ſint, VOS nimirum CLEMENTISSIMI AC PERQUAM GRATIOSI DOMINI, DOMINI BALLIVIARUM ARCHI-COM-

MENDATORES ET LOCUMTENENTES, VOS *eſtis, qui ſub paterno* SERENISSIMI CAPITIS *Imperio in conſervationem totius ſubalternis ſollicitudinibus ſagaciter invigilatis, antiquas Ejus leges laudabilésque conſuetudines providè cuſtoditis, ac novas, quoties opus, ſapienter additis, nec non concreditarum* VOBIS *Balliviarum, quibus ut Capita præeſtis, curam omni induſtriâ geritis, ut dum ſingulis conſulitur, univerſi Inclyti Ordinis incolumitas conſervetur ac promoveatur, ſicque aliis ad nutum ſupremi Capitis Imperantes, Imperantium ſimul ac Parentium munera laudabiliſſimè peragitis.*

Hiſce commotus CLEMENTISSIMI AC PERQUAM GRATIOSI DOMINI DOMINI, *id ipſum quod in antecedentibus* SERENISSIMO *Inclyti Ordinis* CAPITI *humillimè præſentavi ac ſubmiſſiſſimè rogavi,* VOBIS *quoque eâ, quâ par eſt, ſubmiſſione ac Reverentiâ devotiſſimè offero, inſtantiſſiméque precor, ut hunc inauguralem de potiſſimis Perſonarum tam Imperantium, quàm Parentium in Imperio juribus diſcurſum Hiſtorico-Politico-Publico-Juridicum, ſuccinctâ Hiſtoriâ de Origine, ſecundis & adverſis ſucceſſibus, nec non moderno Inclyti Equeſtris Ordinis Teutonici ſtatu Illuſtratum, pro innatâ* VOBIS *Clementiâ ac benignitate pariter in Protectionem Veſtram Gratioſiſſimè ſuſcipiatis, ut tot tantorúmque Præſidio ubique tutus evadat: Ea verò, quæ in tenello hoc opuſculo de* ILLUSTRISSIMO ORDINE VESTRO *memorabilia retuli, licèt pauca, cum tamen ſatìs momentoſa ſint, ad æternam Ejus gloriam nullo ævo intermorituram cedant, & quæ ſecunda atque proſpera apprecatus ſum, fauſtiſſimo ſuccedant eventu: ita ſupremus rerum omnium Arbiter, cujus velle perficere eſt, velit, jubeat, & ex intimo Cordis affectu iterum itermúque enixiſſimè vovet, ſéque in æternum devovet*

CLEMENTISSIMI, AC
PERQUAM GRATIOSI
DOMINI DOMINI

Servorum Veſtrorum humillimus,
Obedientiſſimus,

Conradus Joſephus Ignatius
Sebaſtianus Heſs.

DE ORIGINE, SECUNDIS ET ADVERSIS SUCCESSIBUS, NEC NON DE STATU MODERNO INCLYTI ORDINIS EQUESTRIS HOSPITALIS B.M.V. TEUTONICORUM IN JERUSALEM.

ILluſtriſſimi Ordinis Equeſtris, quem Teutonicum appellamus, quémque fama tam latè per orbem circumtulit, primæ Origini anſam dediſſe ſuſceptas à Chriſtianis in Terram Sanctam expeditiones, manifeſtum eſt; Poſtquam enim Urbs Hieroſolyma, quæ ab Heraclii temporibus Anno nempè 630. inter phantaſtica Alcorani ſomnia duriſſimo Saracenorum Jugo preſſa Chriſtianorum Principum opem per 470. fermè annos enixè flagitaverat, tandem Anno 1099. Duce Godefrido Bullionio feliciter liberata eſſet, eúmque in fortitudinis præmium, quòd primus in muros inſiluit, Regem accepiſſet, multi ex diverſis nationibus illuc confluere, locáque ſacra impiam tamdiu profanationem paſſa piè venerari cœperunt; Sed cum peregrini Syrii idiomatis ignari variis ſubinde erroribus agerentur, & itineris longinqui moleſtiis fatigati ſæpiſſimè decumberent, inſpiravit divina Clementia Viro cuidam Teutonico, qui unà cum uxore ſuâ domicilium ibidem fixerat, quatenus quoddam Xenodochium de bonis ſuis conſtrueret, in quo infirmos & pauperes Teutonicos & hoſpitio exciperet, & neceſſariis inſtrueret; Confluentibus autem ad ipſum noto idiomate ſolitóque benefaciendi ſtudio allectis multis pauperibus & peregrinis, cum conſenſu Patriarchæ Hoſpitali Oratorium adjecit Beatæ Virgini

Sacrum. Hujus Viri charitate & meritis plures alii de Gente Teutonicâ invitati, ſe & ſua prædicto Hoſpitali miniſterio pauperum tradiderê; Quod cum procedente tempore non ſolùm inferioris, ſed nobilis etiam proſapiæ Germani facerent, ex neceſſitate tuendi peregrinos, ad quod ſe obligaverant, natum eſt ſtudium rei militaris, & defendendæ contra Saracenos Terræ Sanctæ. Res ita perſtitit usque ad Quidonis Luſignani, alij Henricum appellant, Regis Hieroſolymæ, tempora, ubi Saladinus Babyloniæ Sultanus ereptâ A. 1187. Chriſtianis Solymâ Hoſpitalarios paucis exceptis ejecit. Cum autem Chriſtianorum clade commoti Europæ Principes in Palæſtinam moverent, captísque variis urbibus demum Ptolemaidem ſive Acconam Germ: Ackers Potentiſſimam Syriæ Civitatem obſidione cingerent, eâ durante, cum multi militum Vulneribus aliísvè morbis ægroti decumberent, prædicti Hoſpitalarii Hieroſolymâ profugi unà cum octo Civibus Bremenſibus & Lubecenſibus ſub expanſis navium velis eorum curam ſuſcepere, quo commotus Fridericus Dux Sueviæ, Friderici Barbaroſſæ Imperatoris Filius, de Principum in Caſtris præſentium ope & conſilio, Hoſpitalariorum confraternitatem ad ſolennis Ordinis, qui inter Templarios & S. Joannis Baptiſtæ jam antè A. 1138. à Balduino II. & 1140. à Fulcone inſtitutos quaſi medius, præter ægrotorum curam Saracenis reſiſteret, honorem pro Noblitate Teutonicâ (cum plerumque alii Franci eſſent & Itali) A. 1190. evexit, eíque nomen Ordo Hospitalis B. M. V. Teutonicorum In Jerusalem indidit, requiſitâ ad id Cœleſtini III. S. Pontificis, & Henrici VI. Rom. Imper. confirmatione, quâ, unà cùm privilegiis Templariorum, & Equitum S. Joannis pro novo Ordine impetratâ, Fridericus & Rex Hieroſolymæ ſelectos 40. Viros Equites creârunt, datâ Ordinis Magiſtro facultate, hunc honorem impoſterum ſuis tribuendi, quo facto Novi Equites poſt emiſſam coràm Patriarchâ trium Votorum ſolennium Profeſſionem, ab eodem Veſte Ordinis, quæ eſt Chlamys alba cum nigrâ Cruce, inveſtiti ſunt. Cui noviter inſtituto Ordini Romanus Pontifex Crucem nigram in Scuto albo pro inſigni ſuo attribuit, ac inſuper Henricus Rex Hieroſolymæ Crucem auream, Fridericus Romanorum Imperator Aquilam Imperialem, & tandem Ludovicus Sanctus Galliarum Rex quatuor Lilia ad extremitatem Crucis in ſignum Cæſareæ Regiæque erga Inclytum hunc Ordinem gratiæ ac benevolentiæ ſuperaddiderunt, prout id ipſum in antiquiſſimis hìc adjunctis tabulis hinc

inde

inde depictum, & Rithmis Germanicis antiquitatem ſat demonſtrantibus deſcriptum reperitur.

Hic Ordo Equeſtris ob eximia, quæ contra Saracenos dedit, fortitudinis ſpecimina, brevi inclareſcere, à Romanis Pontificibus & Imperatoribus multis privilegiis & tenerrimis præconiorum elogiis condecorari, nec non variis bonis augeri cœpit, ita ut ſub Hermanno de Salza 4to ejus Magiſtro à Conrado Polono Cojæ & Maſſoviæ Duce contra vicinos Boruſſos adhuc gentiles ultimum dictis Ducatibus excidium quotidiè minitantes in auxilium vocatus, id eo pacto præſtiterit, ut memoratus Dux Terram Culmenſem & Lubaviæ Inclyto Ordini ſtatim & in perpetuum nihil juris aut proprietatis ſibi reſervans cederet, ècontra Ordo ad Strenuam contra Boruſſos defenſionem obligatus eſſet; ita tamen, ut omne illud, quod in partibus Pruſſiæ conquiret, ob omni ſervitio & exactione liberum pleniſſimo jure ſibi retineat; quâ conventione à S. Pontifice & R. Imperatore ſolenniter confirmatâ, Magiſter Hermannus de Salza rem ſtrenuè aggreſſus Hermannum de Balck, Equitem belli artibus clariſſimum cum aliis Copiis in Pruſſiam A. 1230. miſit, qui bello contra Pruſſos initium faceret, quod eo eventu præſtitit, ut Deo cœpta ſecundante, intra tempus non adeò longum variæ Provinciæ Pruſſis ereptæ, & demum finitis annis 53. poſt compoſitos ſæpè ſubactorum tumultus, datóſque & acceptos belli more ictus non pudendos, univerſa regio ab Inclyto Ordine occupata fugatis Gentiliſmi tenebris veræ fidei lumen aſpexerit, id quod quanto ſanguine, labore, & ſumptibus conſtiterit, facilè dijudicandum. Pari modo pium Chriſtianos defendendi Studium acquiſitæ pro parte Livoniæ & Curlandiæ anſa fuit; Cum enim Ordo Equeſtris Enſiferorum circa A. 1206. ab Alberto Rigenſi Archi-Epiſcopo contra infideles Livones inſtitutus iis reſiſtendo impar foret, conſenſu & auctoritate S. Pontificis Gregorii IX. Ordini Teutonico in vicinâ Boruſſiâ jam tum ſat potenti A. 1238. incorporatus eſt, qui rem pari ac in Boruſſiâ fortitudine & conſtantiâ, paríque fermè eventu geſſit, & magnam Livoniæ partem occupavit, quo facto M. Magiſter de Salza Inclytum Ordinem ſuum præter bona in Syriâ, Armeniâ, Germaniâ, Italiâ, & alibi acquiſita, amplis cernens ditatum Provinciis, Boruſſiâ nempe, & parte Livoniæ, Tres ſibi ſubſtituit Magiſtros Provinciales, unum per Boruſſiam, alterum per Germaniam, Italiam, partéſque transmarinas, 3tium per Livoniam, qui tamen omnes Supremo Magiſtro ejúsque Succeſſori-

bus

bus ſubeſſent, donec tandem expugnatâ rurſus à Saracenis Acconâ, ſub tempore M. Magiſtri Sigefridi â Feuchtwangen ſedes Principalis M. Magiſterii (quæ ab aliquo tempore Marpurgi in Haſſiâ conſtituta erat) in Boruſſiam interea multis Civitatibus & fortalitiis inſtructam translata, ac Mariopoli ſive Marienburgi ſtabilita, & proinde Magiſterium Provinciale Boruſſiæ cum Magno Magiſterio rurſus coadunatum fuit: Inclytus igitur hic Ordo Magiſtros nactus fortiſſimos ſtupenda incrementa ſumpſit usque ad Sæculi decimi quinti initium, ubi ſub Magiſtro Ulrico à Jungingen in famoſiſſimo prælio ad montem Tannenberg unà cum 40000. militibus à Poloniæ Rege Uladislao, licèt cum 60000. Polonorum clade, acie victo & occiſo, ejus vires attenuari cœperunt, quod malum civilibus diſcordiis ita auctum, ut A. 1454. potiſſima Boruſſiæ pars planè defecerit, ſéque protectioni Regis Poloniæ crediderit; inde natum bellum per 13. ferè annos acerrimè continuatum, quod inita A. 1466. Thorunæ pacificatio eâ conditione finivit, ut Pomerelliâ unà cum Culmenſi & Michlovienſi diſtrictibus, nec non Ermelandiâ, Marienburgo, & Elbingâ Coronæ Polonicæ ceſſis, reliquam Pruſſiæ partem poſthac Ordo fiduciariâ lege à regno Poloniæ teneret, præſtando ab Ordinis M. Magiſtro intra ſex menſes à die aditi regiminis fidelitatis Juramento. Hanc pacem afflictus Princeps Ludovicus ab Erlichshauſen eo, quo à Rege Poloniæ rebellibúsque ſubditis propoſita fuerat, modo acceptare cogebatur, licèt contra pacificationis A. 1436. inter Regem Poloniæ, & Magnum Magiſtrum Ordinis Paulum Bellizer de Rufsdorff initæ, & appenſis plusquam 270. Sigillis confirmatæ tenorem extorta, Statutis Ordinis contraria, totíque Imperio & Nobilitati Germanicæ ſummè præjudicioſa fuerit, & inter reliquas iniquam hanc conditionem inſertam habuerit, ut de pacis hujus validitate nec Summus Pontifex aut Concilium, nec Imperator, Statúsque Imperii cognoſcere poſſent. Quibus tamen non attentis hi tractatus, adjectaque iis clauſula à S. Pontifice, R. Imperatore, Electoribus, Statibusque Imp: pro nullis declarati, Inclytusque Ordo à præſtito deſuper Juramento omninò abſolutus eſt: Hinc varii ejus M. Magiſtri, præcipuè Martinus Truchſeſs à Wezhauſen, & Fridericus Dux Saxoniæ ablata recuperare, ſeque ab onere præſtandi Regno Poloniæ fidelitatis Juramenti liberare, omni conatu, licèt ob Polonorum potentiam irrito, allaborârunt; Res in hoc ſtatu perſtitit uſque ad A. 1518. ubi Albertus Marchio Brandenburgicus M. Ordinis Magiſter ob

recuſa-

recuſatum itidem Juramentum bello à Rege Poloniæ impetitus, id primò ſtrenuè ſatis geſſit, mox inducias 4. annorum pepigit, quas contractâ A. 1525. 9. Aprilis cum ſuo Avunculo Rege Poloniæ pace, in occaſionem ſibi privatim conſulendi vertit, nam ex Ordinis Magiſtro à prædicto Rege Dux Pruſſiæ ſub lege feudali creatus, ſtatim mutatâ religione, ſolutoque à ſe ipſo voti vinculo, Dorotheam Friderici I. Regis Daniæ filiam uxorem duxit, & Provinciam, quam antè adminiſtrationis tantùm titulo obtinuerat, jure proprio poſſidendam, & ad Hæredes transmittendam inaudito exemplo ſibi arrogavit; ſicque Inclytus Ordo univerſâ Pruſſiâ excidit.

Cui extremo & univerſum quaſi interitum comminanti fato integerrimus tum temporis per Germaniam, Italiam, & partes transmarinas Magiſter Waltherus de Cronberg generoſo animo vivacíque conſilio medelam quærere Studuit, ac indefeſſo labore apud Carolum V. Roman: Imperatorem id effecit, ut non ſolùm de M. Magiſterii terrarúmque Pruſſiæ adminiſtratione in futurum cum Magiſterio Allemanniæ in perpetuum conjungendâ in Comitiis Auguſtanis 1530. 26. Jul: ſingulari ſolennitate ſub dio inveſtitus, verùm etiam transactio inter Sigismundum Regem Poloniæ & Albertum Marchionem Brandenburgicum inita, caſſata, quin & ipſe Albertus unà cum adhærentibus 11. Jan: 1532. in Imperiali Camerâ Spirenſi adhibitis conſuetis ſolennitatibus ſub Dio in Bannum Imp: declaratus, nec non litteræ executoriales deſuper emanatæ fuerint. Has Waltheri de Cronberg de recuperandâ Boruſſiâ curas Succeſſores ejus M. Magiſterii Adminiſtratores ſedulò continuârunt, non ſolùm de caſu in caſum ad hodiernum usque diem de regalibus, dignitatibus ac prærogativis Ordinis ab Imperatoribus Romanis inveſtituram ſolemnem acceptando, ſed & alia quævis opportuna remedia pro rei exigentiâ impendendo.

Pari fermè fato ſæpè dictus Illuſtris Ordo, dum de recuperandâ Boruſſiâ ferventiſſimè inſudaret, Livoniâ exutus eſt: primò enim Anno 1555. cum Wilhelmo Rigenſi Archi-Epiſcopo, ob aſſumptum ſibi contra Regionis Statuta ſine Capituli, Livoniæque Statuum conſenſu Coadjutorem Chriſtophorum Ducem Megapolitanum, colliſus, mox accedente ſimultate inter Caſparum à Münſter Ordinis Mareſchallum, & Wilhelmum à Fürſtenberg ob Coadjutoriam Magiſterii, quam in poſteriorem delatam, prior jure majori ſe prætendere poſſe jactabat, belli inteſtini flammas ſenſit, quas excepit Joannis Baſilidis Magni

 Moſcho-

Moſchorum Ducis in Livoniam expeditio, quâ magnam ejus partem ſub jugum rapuit, & ipſum Magiſtrum Wilhelmum à Fürſtenberg in Moſcoviam captivum deduxit, contra cujus armorum torrentem cum fruſtra ab Imperio auxilia flagitâſſet Gotthardus Kettler Ordinis in Livoniâ tum temporis Magiſter (dicto Wilhelmo à Fürſtenberg in captivitate adhuc detento) primò tutelam Regis Poloniæ imploravit, Rege autem plenariam deditionem urgente, inſcio licèt ac invito M. Magiſterii Adminiſtratore, ac univerſo Ordine (paucis ſibi adhærentibus exceptis) 28. Novembris 1561. penitus ſe Polonis ſubmiſit, in cujus remunerationem pro ſe & poſteris de parte Curlandiæ & SemiGalliæ à Poloniæ Rege ſub titulo Ducis inveſtitus, Ordinem fidémque Alberti Exemplo deſeruit, ſícque poſt annos 37 à defectione Pruſſicâ Inclytus Ordo Livoniâ quoque deſtitutus, eíque hactenus ſola quidem acerba ſatìs Provinciarum tam amplarum recordatio relicta, necdum tamen melioris eventûs ſpes omnis avulſa, multo minus hæc tanti momenti Ordinis appertinentia pro derelictis habita ſunt.

Poſt tantas pluréſque alias infauſtas avulſiones nihilominus Inclytus hic Ordo ſub Magno Pruſſiæ Adminiſtratore, ſimúlque per Allemanniam, Italiam, ac partes transmarinas Magiſtro adhuc in undecim Provincias ſive Ballivias diſtinctus floret, eximio Nobilitatis Germanicæ ornamento, utpote ad quem nulli acceſſus patet, niſi probatâ legitimè tam ex paternâ, quàm maternâ proſapiâ, octo progenitorum Equeſtri Nobilitate, & acquiſitâ per tres expeditiones rei militaris experientiâ. Quælibet Ballivia (quarum quatuor immediatam quondam Magiſterii per Boruſſiam partem conſtituebant, & adhuc Balliviæ Boruſſicæ appellantur, reliquæ ſeptem verò Magiſterio per Allemanniam immediatè parebant, & Balliviæ Allemannicæ dicuntur) in ſuas dividitur Commendas, Commendatoris aut Pro-Commendatoris Equitum Ordinis adminiſtrationi concreditas, quibus per ſingulas Ballivias Archi-Commendator (qui antiquis temporibus Præceptores Balliviarum denominabantur) præeſt.

Porro Inclytus hic Ordo certis ſuis regulis & ſtatutis circumſcriptus eſt, pro quorum obſervantiâ crebriora tum per ſingulas Ballivias Provincialia, tum Generalia Capitula celebrantur, in quibus quæ circa cultum divinum, regularitatem Ordinis, ejúſque adminiſtrationem tam in Politicis, quàm Oeconomicis neceſſaria videntur, maturo conſilio penſitantur & ſtatuuntur. Eum ambientes trino, Caſtitatis videlicet, paupertatis, & obedientiæ Voto ſe obſtringunt, ac inſuper ægrotis inſervire appromittunt; Ejuſdémque Commembra eſſe, præter Equeſtri Nobilitate præditos, Comites quoque & Principes, S. R. E. Cardinales, quin & Regum & Imperatorum Filii, ſibi honori & gloriæ duxerunt; exempla videre licet in ſubſequentibus, ubi omnium à primâ Ordinis inſtitutione, uſque ad præſens, Magnorum Ejusdem Magiſtrorum Icones, & modernorum Archi-Commendatorum inſignia ſerie inter hos uſitatâ, ſalvo tamen inter quosdam alternationis jure repræſentantur. Faxit igitur Deus Ter Opt. Max. ut Illuſtriſſimus hic Ordo Teutonicus, qui copioſiſſimo Nobilium Heroum Teutonicorum ſanguine pro fide Chriſti effuſo formatus eſt, in Reipub. Chriſtianæ incrementum viribus ſuis, quibus tam infauſtè excidit, reſtauretur, ac in DEI, ejúſque Virginis Matris ſibi patrocinantis Gloriam & honorem in æternum floreat.



OTTO de Kärppen Magisterium consequitur Anno 1200. Sedente Innocentio III. S: Pontifice et Philippo II. Romanorum Impe„ ratore, Ordinis amator Zeloſiſsimus in eodem propagando indefeſsē desudavit: Tantæ ſubmiſsionis Vir, regularumq₃ obſervator tam rigidus, ut Ipsemet licet jam octo genarius propriјs tamen manibus, ægrotis ſæpius ministrârit: Inclijto ordini pro ſigillo aſsignavit Mariæ fugam in Ægÿptum: post exactos in regi„ mine Annos 6. Senio fractus, mortuus est Ptolemaidos 20. Junij 1206, ibiq₃ corpus ejus à Confratribus terræ mandatum. Sub hæc tempora Albertus III. Rigensium Episcopus in Livoniâ auctoritate et Consensu S: Pontificis et Imperatoris fundavit Ordinem equestrem Ensiferorum non multos adeò post annos Inclijto Ordini Teutonico incorporatum.



HERMANNUS de Bart Nobilis ex Holsatiâ eodem Pontifice et Imperatore regnantibus à Confratribus eligitur Anno 1206. Vir in Deum pietate et in pauperes munificentiâ Conspicuus, Hospitale Ordinis amavit intimè XIII. Cal: April: Anno Christi MCCX. ſui verò regiminis $V.^{to}$ præmaturâ morte in optimo ætatis flore abreptus, extinguitur Ptolemaidos, ibiq; ſepelitur. Sub hoc Inſignia Ordinis ab Henrico Rege Hieroſolÿmæ aureâ Cruce, quam Regnum Hierosolÿmitanum ſibi in suum Inſigne vindicat, priori Cruci nigræ inſerendâ, Ornata ſunt. fuit $III.^{tius}$ et ultimus, qui ſolum titulo Magistri uſus, ſequens enim post occupatam Boruſſiam se Magnum Magistrum appellare coepit, qui etiam titulus ad ſucceſſores transmiſſus hodiedum adhuc obſervatur.



IV



HERMANNUS de Salza Nobilis Thuringa eligitur A°.
1210. Innoc: III. S. P. et Ottone IV. R. I. Vir ſummæ apud omnes exiſtimationis gravißima inter Honor. III. S. P. et Frider: II. R. I. diſsidia ut arbiter compoſuit: à Conrado Maſsoviæ Duce contra Boruſsos gentiles, ceſsâ præprimis T. Ordini pleniſsimo jure terrâ Culmensi in partem periculi et præmij vocatus, atq; a Frider: II. per ſpeciale Diploma in quo Homo Potens opere et Sermone compellari meruit, Boruſsiam, velut vetus et debitum jus Imperij, acquirendi A°. 1226. facultatē nactus magnam hujus partem occupavit adq; fidem Catholicam perduxit. Ordinem Enſiferorum in Livoniâ cum omnibus ditionibus et reditibus S. Pont: et Imp: conſensu Ordini ſuo incorporari, hincq; multis in Armeniâ, Apuliâ Allemaniâ, Hungariâ, Bohemiâ, et Livoniâ bonis augeri vidit, pro quibus gubernandis 3. ſibi Magiſtros Provinciales ſubſtituit, in Germaniâ et Italiâ unum, alterum in Livoniâ 3tium in Pruſsiâ, quam multis urbibus et arcibus à ſe ornatam in 4 Episcopatus Culmensem, Pomeſanienſem, Warmienſem, et Sambiensem diviſit. Post 30. regiminis annos à viſitatione Ordinis in Syria redux obijt ſub viâ, Barleti in Apuliâ 24. Iulij 1240. ibiq; ſepultus. Incliytus ordinis ampliator, qui initio regiminis ſui perpaucos, moriens bis mille Confratres numeravit. Hic M: Magiſter ab Honor: III. et Frider: II. unà cum ſucceſsorib; ſuis ad dignitatē et prærogativā Principum evectus est ſimulq; Ordinis insignia aquilâ decorata ſunt.

V



HEINRICUS ab Hohenloe ex lineâ Bruneck cum fratre Germano Andreâ in Palæſtina A°. 1220. Ordine inveſtitus, Primus expoſt per Germaniam Magiſter Provincialis, defuncto Generali Ordinis Magiſtro proximus in M: Magiſterio ſucceſſit. Heroicis prædeceſſoris ſui veſtigÿs inſiſtens Suante pólium Pomeraniæ Ducem, qui Ermlandiam miſſere devaſtaverat, juſto prælio vicit. et in ejus caſtro Schartowitz per Ordinis Mareſchallum dictericum â Bernſheim in vigilÿs S. Barbaræ A°. 1243. occupato, prædictæ Virginis caput per ſingulare miraculum invenit. â Friderico II. per ſpeciale Privilegium A°. 1245. Veronæ datum, ad exemplum Boruſsiæ gentiles pariter Curlandiorum et ſamogitarum terras ſub Monarchiâ Imp: velut vetera et debita ejusdem jura ſitas ingrediendi et occupandi licentiam obtinuit: Civitati Elbingenſi primum privilegium cum multis libertatibus ob bene merita A°. 1246. indulſit. et cum ſedes Principalis in Boruſsiâ necdum ſtabilis eſſet reverſus in Germaniam ad patrium ſolum nempe Mergenthemium ad tuberam in Franconiâ Domum, modernam Magni Magiſtri Principalem reſidentiam quam ipſe jam ante ſuum in Palæſtinam diſceſsu ordini benignè contulerat ſibi ad Dies vitæ in reſidentiam et poſt obitum in ſepulchrum elegit. ubi etiam XV. Idus Junÿ piè obiit. cadaver in ſacello Aulico ſepultum.

VI



CONRADUS Landgravius Thuringiæ et Haſsiæ ſpretâ Ducis Auſtriæ filiâ in Conthoralem ſibi oblatâ vitam Deo dicatam ambiens Ordini Teu, tonico Marpurgi inveſtitur; eidemq; Anno 1240. Innocentio IV. Summo Pontifice, et Frider. II. Rom: Imperatore Magnus Magiſter præficitur, ſuantepolium Pomeraniæ Du, cem Pruſsorum Rebellantium ope iteratò arma moventem, stratóq; graviter prope pagum Crucken Ordinis Exercitu eidem periculoſe inſultantem, auxilio Ottonis Marchionis Branden, burgici, Epiſcopi Merſburgenſis, et Henrici Comitis â Schwarzenburg Pruſsia rurſus ejecit, inquietosq; Pruſsos in ordinem redegit. Sanctam Eliſabetham Fratris sui Ludovici uxorem â Gregorio IX. Anno 1236. in numerum Sanctorum relatam in Patronam ordinis aſsumpſit, quem etiam varijs bonis de suâ familiâ liberaliter ditavit. cum famâ sanctitatis /: cuius haud levo præſagium illa, juxta Chronica, in eius in Ordinem Inveſtituræ actu super ipsum humi proſtratum, cœlitus demiſsa apparens ignis flamma reputari poteſt:/ Glorioſe obijt Marpurgi A°. 1253. 13. Julij, ubi in templo ordinis quieſcit: sub hoc Magno Magiſtro inſignia Ordinis â Ludovico sancto Galliarum Rege, 4 lilijs aureis decorata sunt. et Mendocus Lithuaniæ Dux hortatu et precibꝰ Andreæ de Stuckland Livoniæ Magiſtri a gentiliſmo ad veram ſidem tranſijt; quam tamen paulò poſt rurſum deſeruit.



VII



POPPO ab oſterna antehæc jam per annos ſeptem Magiſter Provincialis per Boruſsiam eligitur 1252. Innocentio IV. Sumo Pontifice et Conrado IV. Roman: Imperatore, Princeps in bellicis expertiſsimus, multas victorias ut Magiſter Provincialis à Boruſsis rebellantibus aliisq; hoſtibus retulit: Mendauco Lithuaniæ Duci ope et conſilio Prædeceſsoris ad veram fidem converſo, paulò poſt verò ad Idololatriam relabenti, et 30. millibus Maſsoviam Boruſsiæ Provinciam inundanti, pro viribus reſtitit, Annis et ſenio gravis, ferendòq; ulterius Regiminis oneri impar M: Magiſterium, poſtquam illud per annos 12. tenuiſset in manus confratrum reſignavit: Sub hoc Ottocarus Bohemiæ Rex A.^o 1254. auxiliares inclyto ordini copias in Boruſsiam movit, in cujus memoriam et honorem ſequenti anno Mons regius vulgò Königsberg Civitas Boruſsiæ facilè Princeps ædificata fuit.

VIII



HANNO de Sangerhauſen in Reſignantis locum eligitur A.° 1263. Urbano IV. S. Pontifice et tempore magni interregni. Qui ſicut ut Magiſter Provincialis per Livoniam magnam de ſe ſpem fecerat, ita eandem post electionem minimè ſefellit. Boruſsos iteratò rebellionem tentantes, Ducemq; Pomeraniæ compescuit, multas ad-huc ditiones in Poruſsiâ et Livoniâ T. ordini adjecit: varia oppida et villas præcipuè in confinibus vallis et foſsis cinxit. In Germaniam profectus ibidem magno ſuorum luctu obijt ſepultusq; Marpurgi. Præfuit M. Magiſterio annis 12. Princeps omnibus corporis et animi dotibus Instructiſsimus et hinc à summis æquè ac infimis amatus. Sub hoc Otto Marchio Brandenburgicus Boruſsiam ingreſsus T. ordini ſuppetias laturus Arcem Brandenburg propriis ibidem ſumptibus ædificatam T. ordini donavit.





HARTMANNUS Comes ab Heldrungen in Magnum Magiſtrum eligitur A°. 1275. Sub Gregorio X. Summo, Pontifice et Rudolpho I. Rom: Imperatore. eximiæ Pietatis et devotionis Princeps T. ordini ſapientiſsimo Re„gimine ſuo non parum profuit: Arcem Zanther in Boruſsiâ dirui. et ex ejus reliquiis Arcem Marienburg ædificari juſsit, eamq; ſimul Principalem ſedem conſtituit. habito capitulo Marpurgi Magiſterium Provinciale per Boruſsiam et Livoniam conjunxit, eiq; Conradum à Feuchtwangen præfecit: Ferè ſemper in Germania fuit, ab Imperatore aliisq; Principibus, auxilium contra gentiles affines ordini certatim ad=huc insultantes ſollicitans, id quod etiam lar„giſsimè impetravit: Poſt Laudatiſsimi Regiminis annos 8, obijt in Germaniâ Mer„genthemij. ibiq; in ſacello Aulico ſepultus, ubi hodiedum eius monumentum cernitur.



BURCHARDUS de Schwenden vir magnæprudentiæ et maturitatis T. ordini præficitur A.º 1283. Martino IV. Sumo Pontifice, et, Rudolpho I. Rom: Imperatore: capitulum magnum celebravit Ellvingæ: Bellum contra Boruſſos per 53. annos ab T. ordine mirâ conſtantiâ et fortitudine, ſumptibusq; non exi„ guis continuatum pace tandem univerſali finivit, plenumq; in univerſam Boruſſiam Dominium T. ordini obtinuit: Anno 1290. xtiani è 40. Germa„ norum et Italorum millibus conflati exercitûs Dux in Palæſtinam movit, Ptolemaidem ab obsidione, quâ à Soldano Ægypti cingebatur, liberaturus, sed à prædicto soldano cujus copiæ 60000. Equitibus et 160000 peditibus conſtabant infauſto prælio victus Rhodum fugiens accepto in pugnâ vulnere ibidem obijt.

XI



CONRADUS à Feuchtwangen anteà Livoniæ et Boruſsiæ Magister Provincialis in M. Magistrum eligitur 1290. Nicolao IV. Summo Pontifice et Rudolpho I. Rom: Imperatore præclaræ ſtirpis, nobiliſsimarumq; vir„tutum Princeps. initio statim Regiminis Ptolomaidem potentiſsimam Syriæ civitatem trium ordinum Equestrium, Templariorum nempè, S. Joannis, et T. ordinis Teutonici tum temporis ſedem à Soldano Ægypti capi, everti, et multas insuper Commendas in Angliâ, Regno Neapolitano, Republicâq; Veneta, et falsâ habitæ cum Adolpho Naſſoviæ Comite collusionis ſuspicione T. Ordini aufferri vidit, graviterq; indoluit: cum Lithuanis aliisq; gentilibus vario even„tu per Magistros Provinciales conflixit: Nata inter Archi Episcopum Rigensem et T. ordinem diſsidia pacificè componere licet in caſsum tentavit. Fere ſemper in Germaniâ et Imperia negotiorum causâ moratus obiit Pragæ in Bohemiâ post Regiminis annos 7. ſepultusq; Dragowizi.



XII



GODEFRIDUS Comes ab Hohenlohe Magiſter per Germaniam et Italiam in prædefuncti locum Surrogatur Aº. 1297. Bonifacio VIII. Sum: Pontifice et Adolpho I. Rom: Imperatore, primo ſtatim Regiminis ingreſsu per Commendatorem in Königsberg, Rigenses unà cum ſocÿs Lithuanis non contemnendâ clade affecit, quam plures Sequentib, annis exceperunt, opem ferentibus Henrico Bavariæ Duce, Ioanne Comite à Spanheim, et Wernero Comite ab Homburg, qui militari manu in Lithua-niam irrumpentes post captas varias urbes et Arces ſtratàsq; ſæpius victrici dexterâ hostiles copias, opulentiſsimis onusti ſpoliis Patriam Gloriosè repeti-erunt. Post Regiminis annos 10. ætate et viribus deficiens eodem ſe abdicavit, quietam ad-huc aliquantis-per vitam in Germaniâ acturus; demum obÿt Marpurgi, ubi etiam ſepultus. Sub hoc M. Magistro ingens terræ motus 1303. Mense Augusto universam Boruſsiam concuſsit.

XIII



SIGEFRIDUS à Feuchtwangen poſt Prædeceſsoris reſignationem M. Magiſter eligitur . 1307 . Sub Clemente V . Sum: Pontifice et Alberto I. Rom: Imperatore , cognito Prædeceſsoris ſui obitu M. Magiſterium in manus confratrum in Capitulo Ellbingensi iteratò contulit , à quibus tamen de novo electus eius adminiſtrationem reaſſumpsit : Primus fuit , qui translatâ Marpurgo Mariopolim in Boruſsiâ ſede Principali ibidem Aulam conſtanter habuit , Corpore ferè ſemper languidus , Spiritu nihilominus vivaciſsimus ſaluberrimas ſanctiones tulit : ordinationèmq; Provincialem per universam Boruſsiam promulgavit : Dantiscum unà cum totâ Pomerelliâ à Ladislao Loctico Poloniæ Rege , et Marchionibus Brandenburgicis pro multis millibus marcarum argenti T. ordini comparavit : diſsenteriâ obijt Mariopoli 5 . Martij 1312 . ſepultusq; in Colmsee .



CAROLVS BEFFARDVS à Trier contra Æmulum Davidem à Ramerstein, quem uno tantùm voto ſuperavit, à Capitulo eligitur 1312. Clemente V. Sum: Pontifice, et Henrico VII. Rom: Imperatore, multiplicis eruditionis, magnæ què eloquentiæ Princeps: Inchoatum â Prædeceſsore litem cum Polonis ob Pomerelliam ſtrenuè et conſtanter promovit: T. ordinem ſuum ab ArchiEpiscopis Rigensi et Gnesensi coram Papà variorum ſcelerum insimulatum, ipsem et Avenionem profectus ita defendit, ut condemnatâ etiam in litis expensas adversâ parte, cauſam pleniſsimè obtinuerit: Quo facto Romam petiit, visitatisq; ibidem visitandis animi â tot curis relaxandi causâ in Germaniam tentans obyt Treviris 1324. ibiq; in templo ordinis ſepultus jacet; ſub hoc M: Magistro in Boruſsiæ viciniys Sum̃a Annonæ caritas, tantaq; exinde fames ex orta, ut nec Parentes propriis liberis pepercisſe legantur, quam inſecuta pestis tam horrida, ut unius anni fructûs defectu colligentium in campis perierint.



XV



WERNERUS *ab Orseln T: ordini præficitur A^o. 1325. Joanne XXI. Sum: Pontifice et Ludovico Bavaro Rom. Imperatore: Primo statim Regiminis tempore Boruſsiæ fines contra Polonos et Lithuanos junctis viribus T: ordinem aggredientes varijs munimentis et fortalitijs inſtruxit, bellumq́3. contra prædictos hostes ob Pomerelliam Marte ſatis benigno geſsit: ut generis ſplendore, ita in Deum devotione nobilis optimis ſtatutis T. ordinis Confratres exactæ regularum observantiæ adstrinxit: è vesperis exiens â Joanne â Bindorff. vel ut alij vocant â Grendorff cultro proditoriè transfoſsus perijt. 1330. 18. Novembris. magnoq́3 ſuorum luctu Sepultus Mariopoli. Sacrilegus trucidator in continenti captus, perpetuo carcere in pane et aquâ multatus pœnas tanti Sceleris condignè perſolvit.*

XVI



LUDGERUS *Dux Brunswicensis M: Magisterium consequitur 1331. eodem Pontifice et Imperatore: Clementiam in ſubditos, cum ſeveri„tate in facinerosos, munificentiam in confratres, cum adſtrictione ad regulas ita conjungere ſcivit, ut omnes eum timore ſimul et amore colerent: Summam Ædem in Königsberg omnium Ecclesiarum in Boruſsiá facilè Principem exſtruxit. graviſsima cum Rege Poloniæ bella ut plurimum victor gerens. in ipsa Poloniæ viscera penetravit: Excreitum hostilem 1331. 27. 7bris plená internecione ſtravit: inducias annales cum prædicto Rege pepigit, quas ſecuta pax non tamen sat firma 1335. eodem Anno Ludgerus vitæ ſuæ finem advertens ædificatæ à ſe Ecclesiæ juſsu ſuo illatus, post auditam devotē miſsam ſumptùmq; cæleste viaticum animam creatori reddidit, Corpus in prædictâ Ecclesiâ inhumatum.*

XVII



DIETERICUS Comes ab Oldenburg ætate jam 80. genarius corpore tamen et animo ad=huc vegetus in M: Magiſtrum eligitur 1335. Benedicto X. Sum: Pontifice et Ludovico Bavaro Rom: Imperatore. Pietate et juſtitiâ præclariſsimus T. ordinis gubernacula laudatiſsimè tenuit per annos 6. Arcem Marienburg foſsis et vallis cinxit, in eâq; crÿptam in honorem S. Annæ pro M. Magiſtrorum ſepulturâ extruxit. Nogatopontem impoſuit, primus monetam cudit. omniàq; per ſexennium tali providentiâ ordinavit, ut plurimis in Boruſsiam totúmq; T. Ordinem meritis celebratiſsimus jure omnibus audiat. Conventum cum Epiſcopo Cojavienſi deſtinavit Thornam, cum legatis Polonicis præſente Carolo Regis Bohemiæ Filio de pace tandem firmâ tractaturus, ad quem cum ſe accingeret; repentino morbo extinguitur. Mariopoli 1341. 15. Julij ubi oſsa ejus.



XVIII



LUDOLPHUS KÖNIG *Dominus in Weizau Nobilis Saxo eligitur 1342. 1ᵐᵒ Januar: eodem Sumō Pontifice et Imperatore regnantibus: uti bellorum oſor, ita pacis Studioſiſſimus eandem firmam cum Caſimiro II. Poloniæ Rege inijt. 1343. 8. Jul: quæ etiam 66. annis usq; ad tempora Jagellonis infracta perſtitit. factæ per stratagema ad 50. milliaria â Samaitis et Lithuanis in Livoniâ direptioni ita indoluit, ut in melancholiam lapsus, negotijs adminis-trandis impar, redderetur. hinc depoſito, cui tribus fermè annis præfuerat, M: Magisterio vitam privatam egit in Engelsburg, ubi etiam mortuus, Corpus Mariopolim delatum. Sub hoc Dantiscum tum temporis J: Ordini parens â commercijs florere, caputq; præ alijs Civitatibus extollere coepit.*

XVIIII



HEINRICUS DUSNERUS ab Arffberg Nobilis ex Pomerania unanimi omnium Calculo Succeſsor datur 1345 feſto Sanctæ Luciæ. ſub Clemente VI Summo Pontifice, et Ludovico Bavaro Rom. Imperatore. initam cum Polonis pacem ſervavit exactè: illatum â ſamaitis et Lithuanis ſub prædeceſsore damnum ulturus in Lithuaniam movit. ubi 1346. feſto Purificationis cum prædictis gentilibus eo eventu conſlixit, ut Campus 18000. occiſorum hoſtium... Sanguine rubuerit: in Cuius memoriam Monaſterium Lebenick fundavit in Königsberg, opulentisq; reditibus inſtruxit. 2000. Lithuanos in bello captos Baptizari et ad ſuos remitti juſsit. Principem Lithuaniæ iteratò Castra moventem repetito prælio cum internecione. 10000. hoſtium ſuperavit. â Waldemaro III. Daniæ Rege Harringiam et Wirrlandiam unà cum tribus Civitatibus Revàlio, Narvâ, et Wesenberg cum omnibus juribus, privilegÿs et appertinentÿs pro 9000. Marcis argenti emit. poſt fortunatiſsimi regiminis Annos 6. factorum gloriâ celebris obÿt: Brettæ 1351. Corpus Mariopolim translatum.

XXI



WINRICUS a Knippenrod eligitur Anno. 1351. Clemente VI. Summo Pontiſice, et Carolo IV. Rom: Imperatore. Literarum et Literatorum; amantiſſimus, juris utriusq; Doctores aluit Mariopoli, qui T: Ordinis Confratres prædicta jura docerent. Hinc tanta tum temporis virorum præſtantium Copia, ut nullus fuerit T: Ordinis Conventus, in quo non duo aut tres ad regimen idonei Confratres invenirentur, quod et T: Ordinis ſplendorem ita promovit, ut tum honori ſibi ducerent familiæ illustres Germaniæ, ſi unum ex ſuis in T: ordine numerarent. Continuis licèt bellis cum inſidelibus Lithuanis occupatus pulcherrimas tamen Sanctiones tulit, et præcipuè, ne officiales novis vel immodicis operarum exactionibus ſubditos vexent, gravi interdicto prohibuit. varia Capitula celebravit. in ijſq; Confratres ſæpè paternè hortatus dixiſſe legitur, T. Ordini olim defutura, non opeſ et potentiam, ſed bona Conſilia. Lithuanos inſideles incurſibus, obſidionibus et prædijs per 31. Regiminis ſui annos ita attrivit, ut plurimi veram fidem aſſumpſerint. Obijt ſapientiſſimus Princeps 1382. 24. Jun. Mariopoli ibiq; in Crypta S: Annæ magno Confratrum et ſubditorum gemitu ſepultus.

XXI



CONRADVS ZOLLNER â Rodenſtein M: Magiſterium conſequitur 1382. Vrbano VI. Summo Pontifice et Wenceslao Rom: Imperatore. pietate in Deum, vitæ temperantiâ, morumq; humilitate commendatiſsimus Confratres ſuos verbis et opere ad ſui imitationem incitavit. Vitoldum Lithuaniæ Ducem, cuius Patrem Jagello ex post Poloniæ Rex proditorè occiderat, vel erexit fœderatum, vel perfidum afflixit. Reliquiásq; infidelis ad: huc Lithuaniæ graviſsimis pratijs ita ſtravit, ut Lithuanorum terror ipsis etiam hoſtibus audiret. Natangiam Poruſsiæ provinciam continuis hucusq; bellis pene devaſtatam et deſertam priſ-tino vigori reſtituit. et post multa alia egregiè facta post annos Regiminis 8. obijt in Christburg magno sui relicto deſiderio 1390. 21. Maij Corpus Cryptæ S. Annæ Mariopoli illatum. sub hoc M. Magistro Jagello Lithuaniæ Dux ad veram fidem converſus Poloniæ regnum obtinuit, id quod bellum Polonicum 66. annis ſopitum reſuſcitavit. /.

XXII



CONRADVS a Wallenrod in prædefuncti Locum eligitur 1391. Bonifacio IX. Sum: Pontifice et Wenceslao Rom: Imperatore. Niger aspectu, trux vultu, nil niſi bella ſpirãs Polonorum Osor acerrimus audijt: Erga advenas in bello bene meritos cum profuſione liberalis 500000. propemodum marcas Argenti in illos impendit: ad quod cum ordinarij reditus non ſufficerent, gravibus tributis et collectis ſubditos oneravit: comparato 60000. exercitu in Lithuaniam movit, illâm penitùs ever-ſurus, ſed è tam numeroſo exercitu partim peste partim hostium incurſibus ad 30. millia periere quò factô in furorem incidens 3.tio Regiminis anno obijt Mariopoli 1394. 25. Julij ibiq. ſepultus.

XXIII



CONRADVS à Tungingen M: Magiſter renunciatur 1395. eodem S. Pontifice et R. Imperatore, Aspectu affabilis, animo humilis et corpore castus, Amicos et hostes in ſui amorem rapuit. Insulam Gothlandiam piratarum ſedem armatâ manu occupavit, quam tamen mox Reginæ Daniæ Margarethæ refusis belli expenſis conceſsit: Pacem cum Poloniæ Rege renovavit, ad quam rumpendam nullis rationibus adduci potuit: Provinciam Dobrinum pro 50000. florenis Hungaricis â Ducè Cojæ pignoris loco accepit. A Sigismundo Rom: Imperatore Novam Marchiam pro 160000. aureis emit: Pacis artes ita coluit, ut belli studia laceſsitus non omiserit. id quod Samaitæ et Lithuani ſensêre; post exactos præclariſsimi Regi-minis annos 12. piè obiit Mariopoli 30. Aprilis 1407. ibiq; ſepultus. Sub hoc M. Magistro T. Ordo in Prusiâ maximè floruit. ſub se ultra 60. Urbes celebres tot idem arces, et 18360. pagos cum ſummâ communium annuorum redituum ultra 800000. marcas complexus.

XXIV.



VLRICUS à Jungingen prædefuncti Frater eidem à Capitulo ſucceſſor datur 1407. Gregorio XII. S. Pontifice et Ruperto Palatino Roman: Imperatore I.mo Statim. aditi Regiminis tempore Lithuanos bello aggreditur, ſed Samoitarum ab T. Ordine deficientium rebellio ſperatos progreſſus ſtitit, quâ compoſitâ in Polloniam ob præſtitum Lithuanis auxilium irrumpens varia ibidem loca cæpit. Sed Poloniæ Rex copias ſuas Lithuanis conjungens comparato è varijs nationibus 160. millium exercitu, Boruſſiam ingreſſus propè montem, quem vocant Tannēberg castra poſuit, Quem M: Magister 83000. selectorum virorum exercitu generoso auſu insecutus, cum eodem decretoriâ pugnâ 15 Julij 1409. decertavit, in quâ primum victor, postea nimiâ hostium copiâ oppreſſus unacū 40000 gregariis et 600. confratribus et ipse occubuit. Regij exercitus dimidia quoq; pars deleta, ſtante tamen penes eum victoriâ. corpus occisi M. Magiſtri residuis è clade confratribus redditum et Mariopoli ſepultum.



HENRICUS Reuſs à Plauen ab Eligentibus quendam in M. Magiſtrum nominandi facultatem nactus se ipsum nominavit. 1410. Feſto Aſsumptionis B. M. V. Alexand. V. S. Pontifice et Sigismundo Rom: Imperatore. Regi Poloniæ in Boruſsiâ victorioso ubiq; exercitu circum vaganti, comparato è varijs provincijs milite se opposuit. Hinc etiam A.° 1411. inter Poloniæ Regem et T. Ordinem reſtabilita pax, tenore cuius T. ordo omnia hucusq; à Rege Poloniæ occupata /: numeratâ tamen prius prædicto Regi certâ pecuniæ ſummâ :/ recepit; quo facto M: Magiſter cum cognato suo Commendatore Dantiscensi T. ordini malè proſpiciens, et de collusione cum Polonis ſuspectus S. Pontificis et Imperatoris consensu, ab adminiſtratione 3tio poſt nominationem anno remotus, poſt 7. modo annos obijt in arce Lochſtetten Corpus Mariopoli tumulatum.



MICHAEL KUCHENMEISTER á Sternberg Commendator Bretensis prædefuncto subſtituitur 1413. ſedente Alexandro V. Summo Pontifice, et Imperante Sigismundo serij animi et maturi judicij Princeps varias Sanctiones præſertim de Testamentis ſubditis tulit. Concilium Provinciale, quod ſummis æq; ac infimis jus diceret, ordinavit. Doctrinam Wicleſianam et Huſsiticam tum temporis in Ecclesia graſsantem in ſuis ditionibus ſub gravi poenâ prohibuit: gliscentem quotidiè magis et magis inter Confratres T: Ordinis discordiam ſuis in ſcintillis ad:huc sopire omni Conatu tentavit, cui efficiendo ſe imparem advertens 9. sapientiſsimi Regiminis anno. Administrationem deponit 1422. Ductisq; ad:huc aliquod quietè annis demum obit Dantisci juxtàq; prædeceſsores ſuos ſepelitur Mariopoli. /.

XXVII



PAULUS BELLIZER â Ruſsdorff nobilis ex Carinthiâ unanimiter â Capitulo eligitur 1422. Martino V. summo Pontiſice, et Sigismundo Rom: Imperatore singulari in Deum pietate conspicuus paci præ omnibus ſtuduit, quam etiam tempore Regiminis ſui â Polonis varijs in=Curſionibus ruptam, varijs inducijs reſtauratam tandem 1436. de novo ſtabilivit. quæ et appensis ultra 270. sigillis â Rege Poloniæ et T: Ordine per ſolenne inſtrumentum confirmata. diſsidias inter Ericum Regem Daniæ et Civitateſ Hanseaticas miſsis ad utramq; partem legatis componere tentavit; T: Ordiniſ Commendatores Habito Maricpoli Capitulo ad Concordiæ ſtudium incitavit, in quo verò tanta inter Eum et prædictoſ Commendatores orta Contentio ut M. Magister arreptâ fugâ clam Dantiſcum properàrit. quo viso Potentiores Boruſsiæ et Pomerelliæ Civitates et Status foedus de se mutuò defendendis iniere, brevi in nefandam rebellionis ligam degeneraturum. interim pijſsimus Princeps varijs adverſitatibus vexatus improviſo morbo corripitur, cui quidem per Curarum abdicationem mederi ſperavit. ſed senio et laboribuſ attritus post laudatiſsimi Regiminis annos 19. obijt Elbingæ 1441. Corpuſ Prædecſsorum oſsibus aſsociatum.



CONRADVS ab Erlichshausen T: Ordini per Capitulum præficitur 1441. Eugenio IV Summo Pontifice et Friderico IV. Roman: Imperatore insignis modeſtiæ Princeps nil nisi pacem cum exteris et Concordiam cum Confratribus et subditis intendit. ſed orta statim ratione præſtandi. homogij Contentio, quæ tamen etmox compoſita: cum Vlaſdislao III. Poloniæ Rege sinceram amicitiam coluit. in cuius ſignum hi duo Principis mutuis ſe se convivijs Thornæ et Breschovij excepere: Hollandos et Seelandos ob illatum T: Ordini damnum usq; ad eius restitu-tionem in bannum declarari fecit: ſuscita^tos propemodum à populo tumultus celeb-rato Elbingæ Conventu mirâ prudentiâ impedivit: ſed tamen neq; discrepantes Confratrum animos adunare, nec foedus contra T: Ordinem â potentiori-bus Boruſsiæ Civitatibus ſub protectione Casimiri Poloniæ Regis initum dis-rumpere potuit, cui optimus Princeps ita indoluit, ut in fine Anni 1449. Lethali morbo correptus ad superos abierit, qui ſicut ultimus univerſam Bruſsiam tenuit, ſic quoq; ultimuſ M: Magistrorum reconditorio illatus Mariopoli. /.



XXVIIII



LUDOVICUS ab Erlichshauſen Anteceſſoris Nepos eligitur 1450. Nicolao V. Summo Pontifice, et Friderico IV. Rom: Imperatore initio Statim Regiminis cum memoratum ſupra foedus tollere omnib^us^ virib^us^ licet in Caſſum tentâſſet, foederatas Civitates coram Imperatore et Electoribus per legatos accuſavit, â quibus etiam uti et â summo Pontifice Causa in favorem T: Ordiniſ deciſa foedusq; omnino invalidatum, sed foederati auxilijs Protectoris Regis Poloniæ confisi ſoluto â ſe ipſis Homagij, quo hucusq; T. Ordini obſtricti fuerant, vinculo, potiores Bruſſiæ Civitates Protectori ſuo ceſſere: Mariopolis Pruſſiæ Caput T: Ordini ad huc parens â Militibus ob non ſoluta ſtatim stipendia offerente licèt idem pretium M: Magistro Regi Poloniæ vendita, bellumq; per 13. annos cum Rebellibus Summo T. Ordinis detrimento continuatum cui tandem finem dedit extorta pax 1466. vi cujus relictâ ultra dimidium Regi Pruſſiâ, M: Magister in Poloniæ Principem aſſumptus, ſeq; ad præſtandum Regi juramentum fidelitatis obſtringere coactus post Annos Regiminis 17. inquietiſſime actos obijt in Konigsberg, ibiq; sepultus. /.



XXX



HEINRICUS REUS à Plauen I. ordini primo ſub titulo Locumtenentis. præficitur 1467. Paulo II. Summo Pontifice et Friderico IV. Rom: Imperatore; cui duobus annis præfuit: quibus elapsis modò M. Magister denominatur: Mag. nam de se ſpem fecerat ob non vulgarem tam in gerendis bellis, quàm regendis provincijs notitiam; ſed à præstito Regi Poloniæ Iuramento fidelitatis domum redux apoplexiâ tangitur Thorunæ sub prandio, quâ Morungam vectus post regiminis septimanas ii. prœmaturè extinguitur 1470. Corpus ſepultum in Königsberg.



HEINRICUS à Richtenberg eligitur 1470. eodem Sum: Pontifice et Roman: Imperatore, Juſtitiæ tenacisſimus. Theodoricum à Cubâ Samlandiæ Episcopum Theſauros Eccleſiæ suæ oppignorantem, et M. Magiſterium ſuperbe affectantem carceri mancipavit: Confratres S. Ordinis arctâ disciplinâ continuit, eos in accusatorum præſentiâ reprehendere ſolitus, exactis in regimine Annis 7. Phtiſi correptus, et cum se reconvaluiſse putarât ſubitaneè extinctus 1477. 17. Febr. Sepultusq; in Königsberg.

XXXII



MARTINUS TRUCHSES à Wetzhauſen M: Magiſter renunciatur 1477. Sixto IV. Summo Pontifice, et Friderico IV. Rom: Imperatore excelsi animi Princeps initio statim Regiminis neq; initam à Ludovico ab Erlichshausen cum Poloniæ Rege pacem utpote à ſummo Pontifice et Romanorum Imperatore pro nullâ declaratam servare, neq; debitum exinde fidelitatis juramentum Regi præſtare voluit; hinc pacto foedere cum Mathia Corvino Hungariæ Rege, et Nicolao à Thüngen Heilſpergensi Episcopo Poloniam ingreſsus varias urbes coepit, pro lapsas I: Ordinis res restauraturus, nisi deficientis nec promiſsa præſtantis Hungariæ Regis mutata consilia aleam mutaſsent. hinc præſtito Regi juramento eidem reconciliatus coactam 1466. pacem coactus renovavit. Quo facto subditorum ſaluti ad huc per aliquot Annos strenuè invigilans demum obijt in Königsberg 1489. vigilijs Epiphaniæ, inq; ſummo templo ibidem sepultus. de eo ad huc vivente dicebatur Martinus Domi Monachus, egregius in Campo Leo. I.

XXXIII



IOANNES â Tieffen Nobilis ex Helvetiâ ut senio Venerabilis, ita multiplici virtutum genere decorus M. Magiſter inauguratur Anno 1489. Innocentio VIII. summo Pontiſice et Friderico IV. Romanorum Imperatore. Regi Poloniæ ſidelitatem ſtatim iuravit: Regularum Ordinis obſervator rigidiſsimus nec ſuper plumis dormiſſe, nec lindea veſtimenta portâſse legitur. verè ſubditorum Pater, id unicè egit, ut Patriam ultimum penè excidium funeſtiſsimis belli temporibus perpes- ſam priſtino vigori reſtitueret, Clementiam juſtitiæ ita junxit, ut nec ſua defuerint probis præmia, nec ſuæ reprobis pœnæ. Regem Poloniæ in Walachiam contra Tartaros moventem 400. Equitibuſ comitaturus â Confratribus senij admonituſ, aliumq; pro ſe ablegare rogatus, humil- limè reſpondit, se quovis è ſuis viliorem eſse, hinc in Poloniam profec- tus diſsenteriâ obijt Lembergi 1497. poſt expletum Regiminis octennium: Corpus in Pruſsiam delatum et triſti ſubditorum piiſsimum Principem lugentium pompâ tumulatum in Königsberg. /.

XIV



FRIDERICUS *Dux Saxoniæ ab T. Ordinis Capitulo vocatus vigiliis S. Michaelis 500. Equitibus cinctus in Königsberg advenit, ubi ſequenti die per solennem investituram ordini adlectus eidem præficitur 1498. ſedente Alexandro VI. Maximiliano I. Imperante. Juramentum fidelitatis ob promiſsa ſibi in Comitiis Imperij auxilia Regi Poloniæ præstare recuſavit, et ne ulterioribus eiusmodi impetitionibus gravaretur, relicto in Poruſsia, Locumtenente Wilhelmo ab Eyſenburg in Germaniam rediit, ubi annitentibus Imperatore cum Imperio et Hungariæ Rege omnia ad fundandam inter Poloniæ Regem et T. ordinem concordiam tentavit remedia. et tandem in hunc finem præsentibus partis utriusq; legatis institutus Posnæ conventus, ſed insecutâ Anno 1510. 14. xbris M. Magistri morte abruptus ſine fructu abijt. Corpus defuncti tumulo Patris ſui illatum Misniæ quiescit. Sub hoc M. Magistro Waltherus à Plettenberg Livoniæ Magister irruentes copioſiſsimo exercitu Ruſsos exiguo admodum milite aggreſsus, eosdem non ſine mirabili Dei ope cum internecione 100. millium. desideratis ex ſuis nonnisi 400. peditibus et uno equite cruento prælio ſtravit prope Pleskau.*

XXXV



ALBERTUS *Marchio Brandenburgicus ad familiæ ſuæ preces in M. Magiſtrum aſſumptus 1511. Julio II. S. Pontifice, Maximiliano I. Rom: Imperatore Urbem Königsberg ſedem Principalem 22. 9bris nobili 450. Equitum comitatu ingreditur. Sub Regi-minis ſui exordio magnanimus extitit Jurium T. Ordinis defenſor: petitum aliquot post electionem mensibus à Rege Poloniæ Juramentum fidelitatis audacter per 8tennium renuit. Hinc bello laceſſitus eidem se pro viribus per biennium opposuit, quo elapso inducias quatuor annorum mediante Carolo V. Rom: Imp: inijt, quo tempore Posonij in Hungaria instituta pacificatio, quæ tamen emanentibus Regis Poloniæ legatis irrita: Comitiis Imperialibus Norimbergæ 1524. coram interfuit iisq; post ArchiEpiscopos primus Sub-ſcripsit. Anno autem ſequenti finitis inducijs subitò mutatus Regi Poloniæ totam Boruſſiam, nunquam ſibi propriam, multò minus alienabilem in proprietatem offert, sibi in feudum reconferendam, quo ex parte Regis acceptato cum avitâ Religione ordinem deserens Cracovij soleñiter pro ſe ſuisq; ſucceſſori-bus masculis de Pruſſiâ in Ducatum novâ metamorphosi converſâ investitur 1525. 10. April ductâ ex post Dorotheâ Regis Daniæ, et post hanc Annâ Mariâ Ducis Brunsuicensis Filiâ has incliſti ordinis terras non attentis Cæſaris Romaniq; Imperij graviſſimis dehortationibus publicisq; in ban-num declarationibus post 42. annos unico ex 2do. thoro superstiti Filio (: qui tamen Ao. 1618. maniâ correptus absq; liberis deceſſit :) usurpandas reliquit; Et hoc est fatum, quo Pruſſia tot ærumnis ad fidem converſa, tot civitatibus et ecclesiis per 300. Annos ſtupendis ſumptibus ornata, T. Ordini, Imperio totiq; Nobili-tati Germanicæ Subtracta fuit.*

XXXVI.



WALTHERUS à Cronberg Reſignanti Magiſtro per Germaniam et Italiam dieterico à Cleen Succeſsor datus comperto M. Magiſtri à Religione et ordine defectu delatum ſibi à residuis in Germaniâ T. Ordinis Confratribus (: ijs in Pruſsiâ partim cum Magistro ſuo deficientibus, partim fugâ in Germaniam et Livoniam dilapsis, Magni Magiſterij Terrarumq; Pruſsiæ Administrationem in futurum cum Magisterio Allemanniæ in perpetuum conjungendam jubente Imperatore ſuscepit. 1526. Clemente VII. S. Pontifice. Caroto V. Rom: Imperatore, à quo etiam datis Burgos in Castiliâ literis confirmationem, inq; comitiis Augustanis 1530. 26. Jul. singulari ſolennitate ſub dio investiturum accepit. Prima illi cura fuit, subtractas Provincias, quod vi non poterat via juris recuperandi: Idq; tandem indefeſso labore effecit, ut non solum transactio inter Sigismundum Regem Poloniæ et Albertum Marchionem Brandenburgicum inita caſsata, sed ipse etiam Albertus ad comitia Imperij delatus una cum ſibi adhærentibus 11.ma Jan: 1532. à Camerâ Imperiali Spiræ adhibitis consuetis ſolennitatibus ſub dio in bannum Imperij declaratus, nec non literæ executoriales deſuper emanatæ fuerint, realem tamen executionem ab Imperatore et Imperio Religionis controverſijs diviso impetrare non potuit. Comitia Imperij in persona visitavit ſexies: varia capitula celebravit, in iisq;, quam cordi ſibi ſit T. Ordinis prosperitas, editis ſanctionibus ostendit. tandem meritis graviſsimus obijt Mergenthemij 1543. 4. April ibiq; in ſacello Aulico ſub monumento cum Epitaphio aneo abiſso ad huc in vivis ſibi electo et confecto ſepultus.



WOLFFGANGUS SCHUZBAR *dictus Milchling M. Magiſterij Adminiſtrator eligitur 1543. Sedente Paulo III. Carolo V. Imperatore, à quo Spiræ 8.vo Maij inveſtituram cum repetitâ reſtitutionis in Pruſſiam ſententiâ accepit: Multa tulit, fecitq; maximè ob belli Schmalcaldici flammas, in quo ob ſubmiſſum Imperatori militem dirè vexatus, ad tractum Lacûs Bodamici Mergenthemio exul ſe recipere, ſubditosq; ſuos hoſtium in-cendijs et rapinis relinquere coactus eſt, non ſine graviſſimo dolore vidit Livoniam à Polonis, Suecis, et Ruſſis non ſolùm miſere diſcerptam, ſed tandem etiam per Gotthardum Kettlerum Magiſtrum Livonienſem omnino ereptam, dum hic ad peſſimum M. quondam Magiſtri Alberti Brandenburgici exemplum et perſuaſionem, fide catholicâ ac Juramento Deo et ordini præſtito ſepoſitis totam Livoniam Regi Poloniæ 1562, tradidit, Curlandiam ſibi in Ducatum reſervando: Ab-ductum quoq; in captivitatem à Ruſſis Magiſtrum Livoniæ Wilhel-mum à Fürſtenberg, Gotthardi Kettleri in Magiſterio Livonienſi Anteceſſorem, miſſis etiam ad Ducē Moscoviæ legatis, liberare atq; avulsa recuperare, ſed incaſſum tentavit, varijs comitiis pro ſalute Imperij habitis interfuit, turbidiſſima licèt nactus tempora optimus Princeps. Singulari tamen curâ habitis ſæpe capitulis T. Ordini ſuo invigilavit. Ast demum tot curis et ærumnis ſuccumbens extinctus eſt. A.o 1566. 11. Februarij Mergenthemij ibiq; in ſacello aulico ſepultus.*

XXXVIII.



GEORGIUS HUND à Wenckheim in M: Magiſtrum eligitur A°. 1566. Pio V. Summo Pontifice, Maximiliano II. Imperatore à quo in Comitijs Augustanis, quib9 coram interfuit, eodem anno sub dio ſolenniter inveſtitus est. Princeps, quem raræ virtutes, maturitatis præcipuè veriæq; politiæ ſtudium Cæſari æſtimatum, dignumq; fecerunt, cui Cæsar duas ſplendidiſſimas Legationes suo nomine deferret, unam Monachium ad feſta nuptialia Wilhelmi Bavariæ Ducis, alteram Noviomagum in Belgio, quorsum natu majorem Cæſaris filiam Annam nomine Philippo. II. Hispaniarum Regi deſponsatam unâ cum Epiſcopo Monasteriensi ſplendido comitatu deduxit et in Hispaniam trans-portandam Duci Albano ibidem ex ſpectanti commisit. Pro recuperandâ Pruſsiâ et Livoniâ varias indefeſſo ſtudio, conatu licet irrito tentavit vias. inſigne ædificium Cancellariæ Mergentheimensis exſtruxit, et tandem obijt Mer-genthemij Zelosiſſimus Princeps. 17. Jun. 1572. ubi in ſacello Aulico ſepultus.



HEINRICUS de Bobenhauſen Commendator in Plomenthal à Capitulo Nicroſulmæ habito ſucceſsor deſignatur 1572. 6. Auguſt. Gregorio XIII. Summo Pontifice, Maximiliano II Imperatore. Prædeceſsorum veſti-gijs inhærens reſtitutionem Pruſsiæ varijs medijs inſtantiſsimè urſit, Legatosq; eâ de cauſâ ad Regem Poloniæ ſed ſine ſperato eventu miſit. Ab-batiam fuldenſem pendente lite inter Abbatem Balthaſarem, et Julium Episco-pum Herbipolenſem ut ſequeſter adminiſtravit. Capitulum celebravit Nicroſulmæ, et ſuper factâ per Comiſsarios Cæſareos propoſitione de trans-ferendo in fines Hungariæ Inclyto ordine deliberavit, res tamen exitum invenire non potuit. Maximilianum Archi-Ducem Auſtriæ Coadjutorem accepit, cui adminiſtrationem cedens aulam ſuam Cronweiſsenburgum tranſtulit. ubi 15. Martij 1595 piè obijt ibiq; in templo Ordinis ſepultus eſt.


XXXX.



MAXIMILIANUS *Archi Dux Austriæ jam antè Coadjutor nominatus mortuo Henrico de Bobenhauſen titulum et honorem M: Magiſtri aſsumit 1595. Clemente VIII. Eccleſiam, Rudolpho II. Imperium moderantibꝰ Regiarum verè dotium Princeps, adhuc Coadjutor Regnum Poloniæ aliquorum voto promeruit, ſed invidiâ Coeleſti Sigismundi Sueci obtinere non potuit. quin et 27. xbris 1587. prope Bitſchin in Sileſiâ acie victus, paulo post per inſidias captus et nonniſi numerato prægrandi lytro dimiſsus regno Poloniæ jurato quidem renunciavit, interpoſita tamen Pragæ 1598, ſolemni protoſtatione, de non derogando, quin potius per omnia Salvandis juribꝰ Inclyto Ordini in terras Boruſsiæ et Livoniæ competentibus. Cæsarei quoq; exercitus contra Turcas in Hungariâ ſupremus Dux, in gravi prope Erlam prælio, 1596. 26. 8bris victor ob præpoſterum in militibus prædandi ſtudium victus, ſortis fallaciam expertus est. Quanta in Magiſterij administratione pro honore Dei, Cæſaris, et Inclyti ordinis geſserit fundatum pro Alumnis ſeminarium, ædificatum artificioſe in arce Mergentheimenſi ſacellum aliaq; inſtituta pia, ſubmiſsæ pro viribꝰ in bello Turcico copiæ uti et conſcriptum ejus juſsu et auſpicio ordinis Teutonici Chronicon ſatis testantur. Gubernator Tyrolis à Cæſare conſtitutus obijt incomparabilis Princeps Viennæ. 1618. 2. 9bris, ubi conſueto Archi-Ducum reconditorio illatus est.*



*CAROLUS Archi Dux Auſtriæ Epiſcopus Brixenſis et Vratis,,
lavienſis in M: Magiſtrum â Capitulo poſtulatus 1618. Paulo V. Summo
Pontificæ Mathiâ R. Imperatore, et 26. 9bris dicti anni Hallæ in Innthal
ſolenniter ordine inveſtitus. 14 Jan. 1619. Magiſterij adminiſtrationem Mergent,,
hemij ſuſcepit. Dinaſtias Freudenthal et Eulenberg in Sileſiâ ſibi proprias In,,
ctijto Ordini donavit. Regiarum profectò virtutum Princeps dignusq, quem
Philippus III. Hiſpaniarum Rex Portugalliæ pro-Regem irearet. cuius
ſplendidi muneris ſub-eundi cauſâ in Hiſpaniam tendit, ubi inter medios
Aulæ Regiæ applauſus morbo inopinè correptus aliquot post dieb9 Summo
omnium luctu obiit Madritti 28. xbris 1624. ſepultusq in Eſcuriali Princeps,
de quo magna, præcipuè ablatorum olim in Hiſpaniâ et Portugalliâ reſtitu,,
tionem poterat ex-ſpectare Inclijtus ordo, niſi præmatura mors ſpem in ipſâ
herbâ ſuffo-câſſet.*



XXXII.



IOHANNES EUSTACHIUS à Weſternach

Balliviæ Franconicæ Archi Commendator in prædeſuncti locum ſurrogatur. 1625. 19. Martij Gregorio XV. Pontifice. Ferdinando II. Imperatore. duorum in M. Magisterio prædeceſsorum alijs ſubinde ne, gotijs implicitorum locumtenens incomparabilem rerum gerendarum notitiam ſibi acquiſivit, quod ultra 100. Cæſareæ, aliæq; maximi momenti com̄iſsiones, quas ſuâ vitâ ſibi demandatas habuit, præcipuè adminiſtratio Abbatiæ fuldenſis ob controversiam inter Episcopum Herbipolenſem et Abbatem Fuldenſem ſatis teſtantur. In M: Magisterio nonniſi annis duobus ſuperſtes ſenio gravis 82. ætatis ſuæ anno improviſo extinctus est Mergenthemii 28. 8bris 1627. ibiq; ſepultus.



IOANNES CASPARUS à Stadiòn è Commendatore Ballivia Alſaticæ in M. Magiſtrum eligitur. 1627. eodem Pontifice et Imperatore. Dignitates, quas jam antea deptam M: Magiſterii adminiſtrationem poſſederat; præclariſſimas hujus Principis dotes abundè comprobant; anteà enim jam dignus ab Imperatore habitus fuerat, quem ſibi Conſiliarium Intimum ſuoq; militari Concilio præſidem conſtitueret. In Germaniâ, Hungariâ, Belgio et Galliâ bello clarus omnes ſtrenui equitis partes explevit. M. Magiſter conſtitutus non modò ad omnia belli pacisq; consilia adhiberi ſed et militiæ Cæſareæ in ſuperioribus Circulis director deſignari meruit. Monaſterium Capucinorum exſtruxit Mergenthemii, quod ab hoſtib9 acatholicis funditus devaſtatum poſt quadriennale exilium redux denuo reædificavit eiq; ſacellum B. Mariæ Virgini Auxiliatrici sacrum miraculis nunc clarum adjunxit. poſt expletos in regimine annos 14. in caſtris Cæſareis degens obijt in pago Amern prope Mulhusium in Thuringiâ A°. 1641. 21. 9bris. meritis in Inclytum ordinem et Imperium clariſſimus Corpus Mergenthemium translatum, et apud F.F. Capucinos juſſu defuncti tumulatum, ubi in laudatiſſimi Principis memoriam epitaphium cernitur.

XLIV.



LEOPOLDVS GUILIELMVS *Archi Dux Auſtriæ 22. Aug. 1639. Viennæ ordine inveſtitus; ſimùlq; prædeceſſoris Coadjutor deſignatus poſt biennium adminiſtrationem ſuſcepit, Vrbano VIII. Summo Pontifice, Ferdinando III. Imperatore. Cæſarum Filius, Frater, et Patruus, quorum Imperia firmavit, muniit, inſtruxit. Princeps, cui ſimilem vix vidit ætas, belgicarum enim Provinciarum Gubernator, Epiſcopatuum Paſſavienſis, Argentoratenſis, Halberſtadienſis, Olmucenſis, et Vratislavienſis adminiſtrator, tot Conſiliorum et exercituum in utrâq; Germaniâ Hungariâ, et Bohemiâ ſupremus prudentiſſimusq; director univerſam Europam nominis ſui famâ implevit et paſſim Columna Imperij appellari meruit. Carolum Joſephum Archi Ducem Auſtriæ ſibi in Magiſterio ſucceſſorem declarari fecit, et demum contractâ è diuturnis belli moleſtijs ſtomachi imbecillitate in morbum incidit quo lentè abſumptus ad ſuperos abijt Viennæ 20. 9bris. 1662.*

XLV.



CAROLUS JOSEPHUS *Archi-Dux Auſtriæ ad-huc minorennis, et jam electus Episcopus Paſſaviensis Leopoldo Wilhelmo Succeſſor in habito Viennæ Capitulo deſignatur. 1662. Alexandro VII. Summo Pontifice, Leopoldo I. Romanorum Imperatore. Sidus oriens at ſtatim moriens deſtinatam sibi M: Magiſterij administrationem invidiâ mortis adire non potuit, ablato enim è vivis prædeceſſore Carolus ſuscipiendæ adminiſtrationis defectu annorum ad-huc incapax eam ſubſtitutis ſibi ordinis directoribus ad provectiorem usq; ætatem relinquere debuit, quam tamen non attigit, Anno Christi 1664. suæ verò ætatis 14. præmaturè extinctus, ſepultusq; Viennæ.*

XLVI



IOANNES CASPARUS ab Ampringen Nobilis è Brisgoviâ poſt=
quam per omnes officiorum et dignitatum T. ordinis gradus velociter aſcendiſ=
ſet, et condirectorem ſub Carolo Joſepho egiſſet, eodem mortuo ad ipſius M: Magiſterij
faſtigium Capitularium votis ex=tollitur 1664. 20. Martij ſedente Alexandro
VII. cui ad=huc Cardinali in Germaniâ Legato familiaris erat, Leopoldo I. Im=
perante. Princeps, quem conſiliorum maturitas, et eximia rerum in utrâq; togâ geren=
darum notitia Imperatori æſtimatiſſimum reddidêre, à quo etiam poſt Dynaſtiam
Freudenthal ordini in Sileſiâ propriam in Principatum ad dies vitæ hujus Prin=
cipis duraturum erectam, ſupremi in utrâq; Sileſiâ Capitanei munere auctus, et
plenipotentiarius in=ſuper Regni Hungariæ gubernator conſtitutus, utramq; ſpar=
tam glorioſè, explevit, in varijs, quibꝰ coram interfuit, Imp: comitijs per
ſuam, quâ apud Imperatorem pariter, ac omnes ferè Imp: status polluit,
auctoritatem rei communi non parum conſuluit. verè ſubditorum Pater etiam
viliſſimum Principali alloquio dignatus omnium amorem violentè rapuit. deceſſit
optimus Princeps. A°. 1684. 9. 7bris Vratislarij. quo Freudenthalium delatus ibidem in templo
ordinis quieſcit.

XLVII



LUDOVICUS ANTONIUS Comes Palatinus Rheni è Sereniſsimâ Domo Electorali Neoburgicâ 10. xbris. 1679. Ordinem profeſsus 19. ejusdem in Coadjutorem electus M: Magister inthroniſatur Mergenthemij: 1685. 15. Jan. sub Pontificatu Innocentij XI. et regimine Leopoldi I. Princeps, qui belli paciſq; artib, clariſsimus parem ſibi vix habuit, multo minus ſuperiorem. loquuntur id ſusceptæ in Turcas, Galloſq; expeditiones. in ijsq; prælia ad Viennam, Barcan, Budam, Mohatz etc. uti et variarum urbium et propugnaculorum præcipuè Budæ, Moguntiæ, et Bonnæ expugnationes, quas ſuo ipse consilio et auxilio diu noctuq; vigil ut plurimum promovit; à Carolo Lotharingiæ Duce eo elogio decoratus, quòd ſit in Conſilijs magnus, in executione magnanimus, in subitaneis inventivus. loquitur id ſumpta Aº. 1685. in Palati, natu inferiore nomine ſrmi parentis ſui poſseſsio: loquuntur id Hispani ad quos ſororem ſuam Regi Hispaniarum deſponſatam deduxit, Luſitani, Itali, Angli et alij, quorum terras relictâ ubique incredibili ſui æstimatione inviſit. Loquuntur id Eccleſiæ Moguntinenſis et Wormatienſis, uti et præpoſituræ Elvacenſis, quarum prior eum in Coadjutorem, duæ poſteriores in præſulem ſibi elegerunt. loquitur deniq; id univerſus ordo Teutonicus, quem intimo amore complexus pro poſse promovit. Ab Archi Episcopo Moguntino Aſchaffenburgi Aº. 1694. 4 Jan: Sacerdos, et 10mo. Episcopus conſecratus, eodem adhuc anno Episcopus Leodienſis electus improviſo morbo corripitur Leodij, à quo antè confirmationem; Summo omnium luctu abſumptus est. 4. Maij: 1694. Exanime corpus Duſſeldorpium delatum eiq; condigno tanto Principe apparatu parentatum est.

6/68